OBSERVATIONES

AD

TACITI ANNALES CRITICAE

particula altera.

Einladungsschrift

zu den

auf den 5ten, 6ten, 7ten und 9ten April

angeordneten

öffentlichen Prüfungen, Versetzungen und Redeübungen der Schüler

des Catharineums in Lübeck,

von

Fr. Jacob

Director und Professor.

Der Anhang enthält die zweiunddreißigste Fortsetzung von kurzen Nachrichten über das Catharineum in Lübeck.

Lübeck 1838.

Gedruckt bei G. C. Schmidt,

Eines Hochedl. u. Hochw. Raths Buchdrucker.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Ex quo de caelesti eo curru, quo se solum Manilius *veluti vacuo orbe* vectaturum scite praeviderat, ipse descendi atque gressum in hoc vitae forum tuli Tacitumque interpretari coepi programmate proximo, contigit mihi, ut plures quam ante itineris socios nanciscerer. Inter quos unus, dum amice de eis quae tum proponebam iudicat, ficto vultu simul me beatum hominem praedicat, quod per tot Cornelii tam difficiles libros tam paucos locos, in quibus haererem invenerim. Se quidem eorum quae illic tractarentur pleraque dudum in mundo habuisse; sed alia a me maiora transmissa esse, velut XI, 23; XII, 65; XIII, 26, 41, 44, 55; de quibus quid ipse sentirem maluisse doceri. Quibus ille verbis sive aequis sive iniquis currentem tamen, ut aiunt, incitat. Itaque antequam ad historiarum libros, ut potuero, interpretandos accedam, experiar ego, si vel de illis locis paucisque aliis, quod amico placeat, proponere possim. Neque vero faciam, ut in eos me coniectandi laqueos induam, nisi prius leges quasdam, quas in emendando Tacito sequendas mihi scripserim, praemisero; non eas quidem novas et inauditas, sed quas ut a plerisque probatas, ita non ab omnibus vel religiose vel constanter exercitas videam. Sunt autem hae fere: A codice Florentino optimo, nisi necesse sit, ne abeatur. In quo quum illud videndum sit, ne qua superstitionis nebula, id quod Walthero accidit, quo minus vitiosa videamus, impediamur; tum ne priscorum hominum suspicionibus et acumini iusto saepius concedamus, multo magis verendum est. Nam tanta profecto illorum virorum est auctoritas, tum acerrimus Latinae consuetudinis tantus sensus, ut cohibenda consulto eorum verecundia neque id obliviscendum sit, eos haud raro plus nimis, dum indagandis vitiis sagaciter intenti sint, indulsisse ingenio. Quae observatio quum in longam disputationem de illorum virorum temporumque indole nos pellicere possit, nunc tamen in una re, quae e codicum varia ratione et natura desumpta est, paullisper commorari praestabit. Nam illa aetas quid a codicibus codices differrent, nequaquam diligenter vel inquisivit vel curavit. Alii enim libri sunt, qui praeter mira illa vitia, quae dum in uniuscuiusque oculos facile incurrere videntur, intacta tamen a summa inde antiquitate promanaverunt, omnia sana atque sarta exhibent. Alii rursus laceri atque dissipati aedis alicuius vehementi concussione proruptae speciem referunt, cuius nativum splendorem, nisi recentiore manu adstructas erronum casas prudenter semoveris et per ima meantes luxuriantium herbarum radices fortiter evelleris, frustra te speres restituturum. Alii denique inter utrosque medii sunt; per quos postquam aliquamdiu libero gressu incessisti, repente in scopulos et aestus immersum te sentis. Cuius dissimilitudinis cum variae causae sint, nunc unam, quae in codicem Florentinum huic classi adnumerandum cadere videtur, commemorabo. Ea est honestissimi ceteroquin scribae modo arrecta industria, modo dormitans desidia. Sed dum haec disputo, haud paucos viros

praestantes vetera me et trita decantare frementes mihi audire videor. Neque ego vehementer quo minus ita iudicent obsto; eosdem tamen velim rogatos, ut nobis aperiant, quo factum sit, ut per tres eos libros, in quos me amici voluntas revocat, triginta amplius loci restent, qui nondum ad illius codicis fidem in recentissima Taciti recognitione, quam *Grammaticorum equitum doctissimus* nobis paravit, sunt restituti? Ego quidem id accidere iudico aut propterea, quod lex illa simplex nondum prorsus sederit, aut quia antiquorum hominum, nondum eas artis criticae leges curantium, auctoritas plus etiam hodie quam debebat veri vim declinarit, aut propter utrumque. Nam superstitiosam illius libri observantiam, quae me ad locos eos, uti in eo leguntur, tuendos commoveat, nullam esse, ipsa eorum natura, ut spero, deinceps aperiet. Altera autem lex neque ipsa semper observata haec est: Si quid sit corrigendum, ne ceterorum librorum auctoritatem codici illi praeponamus, etiamsi interdum a vulgata scriptura recedendum sit longius. Nam quum illis temporibus non tam saepe quod proxime ad scriptorum manum accederet quaererent, quam quod expeditam eorum lectionem adiuvare videretur, saepe accidit, ut libidinose mutantes vel longius a vero nos avocarent, veluti XIII, 26. Tertia denique veri inveniendi via, quamquam vel haec ab omnibus teritur, ita muniatur, ut quae sint sententiarum vincula, qui orationis decursus, quae denique ipsius loquentis et natura et consilium praesens accurate quaeramus; tanta enim prae ceteris Taciti ars dicendi est, ut nihil fere proferatur, cuius non deinceps aliquis usus insignis sit, nihil subsequatur, quod non ante quasi praeparatum sit et praemunitum. Atque eam quidem observationem in orationibus, quas Tacitus non plenas, sed carptim per praecipua capita, ornate tamen proponere solet, maxime valere iudicabis. Hae igitur leges, non illae quidem antiquis hominibus ignoratae, sed tamen eo studio, quo elegantissimum quodque et in Latinam consuetudinem maxime receptum in quemvis scriptorem inferre cupiebant, haud raro neglectae vel obscuratae quid nobis hodie quoque prodesse possint, exemplo, si possumus, doceamus. Unum moneam, me hoc anno maxime Fr. Ritteri exemplar, quod tum ad manus non erat, secuturum. Ex quo factum est, ut quae quondam tamquam satis munita haud pauca omitterem, ea nunc, quum nondum loco depulsa viderem, denuo in iudicium vocarem. Neque tamen quidquam protuli, quod non novo argumentorum lumine conspergere studuerim; ubi contra quod de meo adderem nihil habebam, aut omnino tacere, aut verbo calculum adiicere satis habui.

Ann. XI, 16.

Eodem anno Cheruscorum gens regem Romae petivit.

Corrigunt praeeunte Rhenano, *Roma*. Sed cur non eodem iure Tacitus *ubi*, quam *unde* regem petierint exponat? Accedit, quod illud verbum, ad quod priores sane homines plerumque, *unde* aliquid peteretur, addere maluerunt, illo tamen aevo alias omnes praepositiones saepe illi structurae praeposuisse Plinii exemplis discimus, quae apud Gesnerum in Thes. invenies. — In eodem capite non minus certe e cod. restituendum est, *modo comitatem et temperantiam nulli invisa, saepius vinolentiam et libidines barbaris grata;* ubi *invisam* intulerunt; quod iam in Ruperti exemplari inductum reperio. Capite vero 17 probare volueram, ita esse scribendum: *Non irrupisse ad invitos, sed accitum memorabat.* Deinde Waltherum, in spec. II, p. 17 eisdem fere quibus ipse usurus eram argumentis usum, idem iam docuisse intellexi. Eo magis doleo, quod postea, nimis ille timidus, tamen pluralem retinendum censuit.

Ann. XI, 26.

Iam Messalina facilitate adulterorum in fastidium versa ad incognitas libidines profluebat.

Malunt *adulteriorum*, puto quia *libidines* sequuntur. Sed saepe a nomine hominum ad rerum nomina aberrari, si res iubeat, nemo ignorat. Et hic hominis naturam, non rem in Taciti mente fuisse et proxima Silii plurima mentio indicat et *facilitatis* nomen. *Homines* enim *faciles* sunt ad libidinem eius explendam proclives et sponte occurrentes; eam vero copiam ipsam ista fastidiens rarum aliquid exquirebat et inaudita secum ausurum *coniugem*. Sin *adulteriorum* facilitatem tueberis, necessario oppones difficultates, quas illa nequaquam ambiebat, sed novas libidines, i. e., ut ipse mox Tacitus explicat, *magnitudinem infamiae, cuius apud prodigos novissima voluptas est.*

Ann. XI, 29.

Ac primo Callistus iam mihi circa necem Caesaris narratus.

Caii praenomen nomini Caesaris addendum aiunt. Id non necesse esse frustra, ut alia multa, iam monuit Walther; addere poterat Taciti exempla in eodem Caligula alia, velut XI, 8: *mox iussu Caesaris vinctum*, aut si id tanquam truncatum spernis, eiusdem libri cap. 1: *praecipuum auctorem Asiaticum interficiendi Caesaris.* Saltem ut omnibus his locis Caii nomen adderent, postulabat constantia. Sed quum illic eius emendationis necessitatem nullam esse ipsi sentirent, quidni eo praeiudicio in loco nostro utamur?

Ann. XI, 32.

Messalina tamen quanquam res adversae consilium eximerent, ire obviam et aspici a marito, quod saepe subsidium habuerat, haud segniter intendit, missique, ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent.

Hic *missi* exturbantur; nam scribunt *iussitque*; sed orationem, quae sane contra exspectationem deflectitur, (nam ita fere exituram exspectabamus: missique, qui Britannicum arcesserent) quam ob causam demutare cogamur, non possum intelligere; decet potius haec oratio abruptior acre Messalinae consilium et celeriter huc illuc motum. Parum etiam sibi constant, qui hic *iubere, ut* inferunt, alibi coniunctivum ab eodem codice praebitum in infinitivum mutant, veluti XII, 49: *Igitur propere montem Taurum transgressus moderatione plura quam vi composuerat, cum rediret in Syriam iubetur.* Non minimum sane in talibus periculum est, ne argutemur. Sed mihi tamen in illo coniunctivo *rediret!* Helvidii Prisci vel Taciti indignatio, qua medium victoriarum cursum ignavo eo imperio sisti videbat, praeclare semper describi visa est. Aliud tamen in loco praescripto non recte habere vehementer suspicor. Nam *res adversae* quam ignave atque etiam perverse dicantur, nemo non videt, si paulo diligentius attendit animum. Namque *adversae res*, i. e. forte et casu oblatae, consilia a nobis inita retardant et cohibent; non ad pericula instantia et discrimina vitae pertinent, quae in nos vel nihil vel aliud agentes immissae irrumpunt; ea vero discrimina hic describi in aperto est. Praeterea res eae adversae frangere quidem et debilitare animos solent, sed non *eximere consilium* i. e. animi praesentiam; haec potius pavore aliquo repentino excutitur. is autem pavor, ut iterum dicam, nunc summus infligitur, et magis miraberis, si a Tacito, unico fortitudinis admiratore, exemptum *per res adversas* consilium nunc excusari memineris. nam excusatio est in coniunctivo, *eximerent*, i. e. facile eximere possent. Quod ita se habere sequentia docent, quibus consilium non esse

Messalinae exemptum docemur. Ex his igitur omnibus patere hoc mihi videtur esse aliquod verbum circumspiciendum, quod mulieri excutere consilium, excussum excusari possit; qua propter rescribo: *quamquam r e s i n a d v e r s a e*, i. e. repentinae neque provisae, *consilium eximerent.* Atque tales res praecedentia omnia describunt: *Non r u m o r interea, sed undique nuncii incedunt, qui gnara Claudio cuncta et v e n i r e p r o m p t u m u l t i o n i afferrent.* Et statim post: *Ceteris passim dilabentibus a f f u e r e centuriones.*

Ann. XI, 33.

Ergo Narcissus, assumptis quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret, seque offert suscepturum. Ac ne, dum in urbem vehitur, ad poenitentiam a Lucio Vitellio et Publio Largo Caecina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit assumitque.

Ne hic quidem, si qui integer ad lectionem accesserit, reperiet quod reprehendat; corrigunt tamen, *sumitque.* Quamquam non tam longe ea verba distare, ut non alterum pro altero hic commode ponatur, probatione non indiget. Itaque quae ab aliis contra compositam formam proferuntur non multis refellam; addam tamen aliud, quod nondum, quantum scio viri docti observaverunt, a me autem iam anno superiore pag. 15 significatum est: apud Tacitum praepositiones ita saepe cum verbis coalescere, ut adverbiorum ab ipso verbo longius recedentium magisque pertinentium ad reliquam orationis naturam teneant. Sic *assumere* plerumque est, ad aliquid aliud, vel praeterea aliquid sumere; hic vero laxius: sedem poscit atque etiam sumit. Sed est tamen etiam hoc loco aliquid monendum, quo, si quid video, propius ad Taciti manum veniri possit. Codex enim habet: *Ac ne, dum in urbem r e f e r a t u r vehitur, ad poenitentiam mutaretur* etc. Quam vocem si reliqui libri omittunt, non emendatius, puto, se scripturos iudicaverunt, sed vitium ita quam brevissime obliterari. Nos religiosius veri vestigia rimati ita corrigemus: *Ac ne, dum in urbem s e p a r a t u s vehitur, ad poenitentiam a Lucio Vitellio mutaretur.* In quo participii notionem propriam tueor. Timebat enim Narcissus, ne per Vitellii artes Messalinam amplectentis consulto ab imperatore separaretur. Ceterum, quam prope *referatur*, *separatus* in Longobardica scriptura distent, meminisse te iubeo.

Ann. XI, 35.

Ac primum in vestibulo effigiem patris Silii consulto senatus abolitam demonstrat, tum quidquid habitum Neronibus et Drusis in pretium probri cessisse.

Avitum et *habitum* atque similia saepe a librariis misceri omnes noverunt. Sed num inde consequitur, ut nos propter id ingenio ludentes, ubi ubi fieri possit, alterum pro altero reponamus? Praesertim cum quam late *habere* apnd Tacitum pateat, non minus omnes noverimus. Itaque et hic tueor et XIII, 34: *Aurelio quoque Cottae et Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps, quamvis per luxum habitas opes dissipassent.* Ubi verba ita iungenda, ut *opes per luxum habitas* intelligas

Ibidem.

Continuus dehinc cohortium clamor nomina reorum et poenas flagitantium; admotusque Silius tribunali non defensionem, non moras tentavit, precatus ut mors acceleraretur. eàdem constantiâ et illustres equites Romani; cupido maturae necis fuit.

Sic interpungendum esse iam Walther vidit; sed aut quod cupidius codicis scripturam saepe defendit auctoritatemque sui iudicii propter id ipsum deminuit, aut

quia in *eadem constantia* sextum casum, non primum efferri non addidit, parum obsequentes viros doctos plerosque expertus est, qui interpolatam orationem tuentur: *eadem constantia et illustres equites Romanos cupidos maturae necis fecit.* Quod quibus causis defendant, aveo discere. Adolescentuli nostri, ubi Romani homines vim verbi loco adiuvant, veluti hic, *cupido* necis erat, nostro more locuti particulam apponere solent: *revera cupido necis erat.* Similiter illum ablativum neglexisse Ritterum miror XII, 31: *cunctàque castris Antonam et Sabrinum fluvios cohibere parat.* Neque minus XIV, 17: *Quippe oppidanâ lasciviâ invicem lacessente, probra, dein saxa sumpsere,* omnia recte habere, nec esse quod corrigamus, *lacessentes*, puto liquere.

Ann. XI, 37.

Interim Messalina Lucullianis in hortis prolatare vitam; componere preces, nonnulla spe et aliquando ira, tantum inter extrema superbia egebat.

Vulgatam, *tanta inter extrema superbia agebat*, quae aperte falsam sententiam continet, recte Fr. Ritter sprevit. nam fluctuantis animi descriptio non potest in hanc superbiae admirationem exire: illa inter spem et iram fluctuabat; tanta erat eius superbia. Sed codicis veram scripturam non vere interpretatus est: „Animum per libidines corruptum omnique honesto destitutum inter componendas preces superbe egisse non est verisimile, neque probatur illis *et aliquando ira.* nam quis nescit fracti debilitatique animi homines iram retinere, superbiam procul abiicere?“ Unde apparet eum *tantum* ita intellexisse, ut esset *in tantum, adeo* superbia egebat. Sed quod falsae illi lectioni, id huic interpretationi obest. nam si in tanto tamque aperto flagitio, tum inter continuas suorum neces exsultantemque inimicorum victoriam ad id unum superbiam mulier deflectit, ut mariti preces meditetur, de ea quidem instituta oratio non sane ita finiri potest: *in tantum superbia egebat.* Hoc quidem praedicari posset, si illa in abiectas se preces effudisset, si ad liberti pedes provoluta Narcissi opem imploravisset, si denique fracta animo omnis consilii fuisset impos. Nunc autem inter spem et iram preces componit, i. e. demittit quidem fortasse superbiam, non abiicit. Ex his omnibus consequitur, ut *tantum* sit non *adeo* sed *modo.* Ex quo porro efficitur, ut referatur ad *extrema*, eaque intelligantur extrema vitae discrimina, sententia autem tota haec sit: fluctuabat illa inter spem et iram, superbia vero tantum in ipso vitae exitu carebat. Atque haec ita habuisse, Tacitus ipse optimus auctor est initio capitis sequentis: *Tunc primum fortunam introspexit ferrumque accepit.* Simulque utriusque loci comparatio, quae sit *superbiae* huius natura, si tamen non per ipsam eam orationem, cuius pars est, aperte intelligitur, monstrat. Est enim formae superbia, qua si modo in Caesaris aspectum veniret, victuram se inimicorum insidias, expugnaturam mariti ignaviam confidebat. Ac parum abfuisse, quin Claudium flecteret, verba praecedentia edocent: *iri iubet nunciarique miserae — dicendam ad causam postera die adesset. Quod ubi auditum, et languescere ira, redire amor, — prorumpit Narcissus denunciatque — exsequi caedem.* Quod si quaeris, cur locus non sane difficilis tam multis obscurus videri potuerit, causa haud dubie in orationis decursu est aliter atque exspectabas deflexo. Nam leniter profluens oratio haec erat: *nonnulla spe et aliquando ira, superbia tantum inter extrema egebat.* Sed noli vel ordinem hunc correctione efficere, vel, quia neglectus est, meam interpretationem falsam putare. nam in antitheto saepe sic quasi satiatus et lasciviens relinquit institutum cursum Tacitus. Unum exemplum e proximis protulisse sufficiat XII, 7, ubi Agrip-

pinae et Messalinae imperia comparantur: Agrippinae *adductum et quasi virile servitium; palam severitas, ac saepius superbia, nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret.* Ut igitur hic comparatae cum publica vita domesticae praemittitur *nihil*, sic illic *tantum* comparatae cum ira superbiae.

Ann. XII, 4.

Igitur Vitellius nomine censoris serviles fallacias obtegens, ingruentiumque dominationum provisor, qua gratiam Agrippinae pararet, consiliis eius implicari, ferre crimina in Silanum etc.

Lasciviebant, qui olim *serere crimina* correxerunt; unde iam Walther *ferre* recte ad Claudium, ad quem nuncius crimina Vitellius ferebat, retulit, cum sequatur, *Et praebebat Caesar aures.* Et fortasse plures commovisset Walther, si accuratius esset locutus. Nam non *nuncius* Vitellius erat, sed, ut superiora arguunt, *censor* fictus idemque *servilis* Agrippinae minister. Censoris igitur nomine crimina non finxit, sed ad Claudium collegam ferebat, atque Agrippinae servilem simul ministrum egit, cum non quod ipse excogitavisset, sed quod illa imperaret, ad domini aures perferret. Hanc servilis ingenii acerbam castigationem quo iure quave licentia eximemus e Tacito? nisi forte propter id, quia saepius usu venit scriptoribus, ut *seri* quam ut *ferri* crimina tradant.

Ann. XII, 5.

Quod porro honestius censoriae mentis levamentum, quam assumere coniugem prosperis dubiisque sociam? etc.

Leve est, neque tamen in eo munere, quo nunc fungimur, plane spernendum, quod hic notamus. Vulgo enim legitur *levamen*; sed cum cod. praebeat, *levamen umquam et*, non videbatur negligenda *um*, syllaba non de nihilo nata, scribendumque, *levamentum.* Sed in eodem capite interpunctione succurrendum Tacito; quamquam hoc quoque iam ante me, sed parum auditus, Walther fecerat. Ita enim scribendum: *Cneio Pompeio Quinto Veranio consulibus pactum inter Claudium et Agrippinam matrimonium. Iam fama, iam amore illicito firmabatur.* Parent autem Lipsio, qui orationem ad verba *firmabatur* producit, quia pactum iam ante matrimonium esset, cap. 3. Neque tamen ei argumento cedendum erat. Nam sollemne illud novi anni per consulum nomina nuncupatum initium nullo pacto potest aberrare ad imperfectum *firmabatur.* Praesertim quum id ipsum, quo res esset praesentior, pro plusquamperfecto scriptum sit. Nam illicito amore firmatum matrimonium iam capite tertio legimus: *Praevaluere haec Agrippinae illecebris, — ut praelata ceteris, nondum uxor, potentia uxoria iam uteretur.* Quibus rebus in domo imperatoris gestis quis dubitet, quin *fama* etiam matrimonii iam dudum per omnia dissipata fuerit? Accuratior igitur praemissi facinoris descriptio, per particulas *iam, iam, necdum* divisa, continuatur quidem, sed simul a brevi rei gestae indice disiungitur. Quod qui Lipsium secuti faciendum negant, non sane illi prudentes consulto quaesitam Tacito acerbitatem eripiunt. Ut enim antiquis scriptoribus ea consulum nuncupatione praeclara quaedam reip. facinora inducere licebat, ita sua tempora acerbe irridens Tacitus aliquam rem torvam e domo imperatoria prorumpentem non raro in anni ineuntis indice praescribit. Velut libri sequentis initio Neronis principatum vide quanto cum invidiae pondere, quanto animi cum dolore ingrediatur: *Prima novo principatu mors Iunii Silani proconsulis Asiae ignaro Nerone per dolum Agrippinae paratur.* Quasi mortes hominum illustrium

enumerare esset Populi Romani conscribere historiam! Itaque, quamquam praesens *paratur* facit ut haeream, tamen fortasse statim post nomen *Silani proconsulis Asiae*, plene interpungendum erat; certe autem disiungenda oratio est insequens, quae per *non quia*, *verum* facinoris causas exponere pergit. Similiter igitur nunc triste illud et fatale matrimonium anni ineuntis index est. Ex quo efficitur ut *matrimonium pactum* non privatam transactionem, ut in cap. tertio, denotet, sed solemnia publica eodem plane modo, quo statim post *illicitum amorem* tanquam rem aliam *incestum* commemorat, atque etiam per particulam *quin* auget, quia factum incestum a religiosis eius caerimoniis distinguere cupit. Postquam autem semel in alteram interpretandi provinciam delati sumus, verbo tangamus caput proximum, sextum, in quo *viduam* non recte intelligi video, nam non eam notat, quae iam semel bisve maritum experta dein orba relicta est, sed eam, quae omnino vacua est et innupta; ei enim opponit *sua matrimonia* colentem principem i. e. alienorum non appetentem.

Ann. XII, 7.

Senatumque ingressus [Claudius] *decretum postulat*, *quo iustae patruos inter fratrumque filias nuptiae etiam in posterum statuerentur. Neque tamen receptus est nisi unus talis matrimonii cupitor.*

Non sane spernenda erat optima codicis lectio, *receptus est*, quasi in illud sacrum incestorum collegium. Si cum vulgatis libris legis, *repertus est*, nihil discis, nisi facti raritatem, amoliris legitimi istius matrimonii, in quod invitabant, acerbam irrisionem. Adiungam hic statim cap. 8, in quo quod plerique iam viderunt, neque tamen Ritter secutus est, recipiendus omnino codicis pluralis est, *uterentur*; nam non modo simul ad Agrippinam referendus est, sed magis etiam ad hanc, quam ad Neronem, vix tum adolescentulum, neque talium capacem. Seneca enim restitutus traditur et praetura auctus, *ut Domitii pueritia tali magistro adolesceret et consiliis eiusdem ad spem dominationis uterentur.*

Ann. XII, 20.

Sed disserebatur contra, suscipi bellum avio itinere, importuoso mari; ad hoc reges feroces, vagos populos, solum frugum egens; tum taedium et mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem, ac multum infamiae, si pellerentur. Quin arriperet oblata et servaret exulem; quin inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore.

Rarius fieri solet, ut duae adversationes per particulam *quin* inductae sese excipiant; quamquam in aliis, velut *sed*, nihil est frequentius. Itaque alterum *quin* mutarunt in dativum *cui*. Sed tamen quid obstat, quo minus illam orationem praetulerit Tacitus, si modo sententia patitur? Ea vero etiam flagitat adversativam particulam. Nam cum *servari* exulem orator dixisset, aperte se corrigit, ac tantum abesse dicit, ut exul servetur, ut vindictae diuturnitate gravissimum supplicium subeat. Accedebat praeterea alia nunc causa, cur in eam sententiam exire oratio atque etiam ornatu quodam rhetorico muniri deberet. Nam adversarii huius consilii ipsam vindictam urgebant, atque ita supra eorum oratio finiebatur: *Hinc dolor iniuriarum et libido vindictae adigebat. Sed disserebatur contra* etc. Eam autem altercationis vim prorsus nobis eripiunt, qui dativo utuntur, *cui*.

Ann. XII, 26.

Quibus patratis nemo adeo expers misericordiae fuit, quem non Britannici

fortunae maeror afficeret. Desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis per intempestiva novercae officia, in ludibrium vertebat intelligens falsi.

Hunc locum magna et coniecturae et interpretationis varietate tentarunt; mihi autem hac interpunctione vix quidquam obscuritatis residere videtur. Nam ille per intempestiva novercae officia (volebat enim, quum novercalia odia exerceret, officiosa videri) desolatus in ludibrium vertebat id falsum seu eam falsitatem, eius (falsi) intelligens. Quum autem, ut ego orationem solvens modo locutus sum, nemo Romanus loquatur, plane Latino more dicit, *in ludibrium vertebat intelligens falsi.* Quodsi in codice est, quod ab aliis tradi video, *falli se*, corrigam *falsae*, ut ad novercam referatur, *in ludibrium vertebat* (matrem) *falsae intelligens.*

Ann. XII, 40.

Haec — plures per annos gesta coniunxi, ne divisa haud proinde ad memoriam sui valerent.

Hic, ut aliis locis plurimis, etiam nunc plerosque corrigere *perinde*, est quod mireris. Nam, cum hodie quid utraque particula differat, nemo ignoret, facile perspicimus, *proinde* se optime hic quoque vi sua tueri.

Ann. XII. 43.

Incessum diris avibus Capitolium: crebris terrae motibus proruptae domus.

Similia prodigia sunt Hist. I, 86: *Sed praecipuus et cum praesenti exitio etiam futuri pavor subita inundatione Tiberis, qui immenso auctu, prorupto ponte sublicio ac strage obstantis molis refusus — plana urbis loca — implevit.* Utroque autem loco *prorupta* damnantur, praeferunturque *proruta.* Atque more receptum esse, ut in terrae praesertim motibus *ruere* cuncta, non *rumpi* dicantur, non ignoro. Neque tamen propterea ad eam consuetudinem omnia exigenda sunt; eoque minus, si alia praeterea linguae et usus inflexio nos in *prorupta* revocat. Nam hoc illi verbum primum poetae deinde scriptores saepe praeferre tanquam fortius solent et gravius. Si quidem in *ruendo* tantum se proripientis impetus est, in *rumpendo* etiam obstacula frangendi vis et victoria. Cuius rei exempla aliunde congerere abstineo. Sed eo eius verbi amor sensim progressus est, ut etiam ubi longius frangendi notio recedat, tamen usurpetur, velut Ann. I, 63: *Quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret.* Non igitur censeo hoc verbum ex Tacito neque hic eximendum neque Ann. XV, 40: *Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, proruptis per immensum aedificiis, ut continuae violentiae campus et velut vacuum caelum occurreret. Necdum positus metus, et redibat, levius rursus grassatus, ignis.* Sic enim ultima loci verba legenda videntur; codex: *necdum post metus aut rediebat lebis* etc. Ubi rursus Gronovius *prorutis aedificiis* uti mavult. Nam prorumpere ignes, sed prorui aedes. Sed oblitus tum erat vir praestantissimus, *pro* saepe in compositione in se habere *pronum* et libidinosum, velut in odia prorumpere non est erumpere, sed pronum ferri; sicut nos quoque et ausbrechen dicimus et losbrechen, quorum hoc soluta notat omnia vincula. Atque ita II, 54. *Nec diu adversus Judaeos, qui in necem militum — proruperant, dubitatum;* ubi non singularis incursus notatur, sed odium vel in militum necem dissolutum. Quae verbi vis quo usque patere coeperit, insigne exemplum est Hist. III, 80. *Eo successu studia populi aucta; volgus urbanum arma cepit. Paucis scuta militaria; plures raptis quod cuique obvium telis signum pugnae exposcunt. Agit grates Vitellius et ad tuendam urbem p r o r u m p e r e iubet.* Quos enim intra urbem continet, eos prorumpere iubet. Sed verbum ambitiosum est, quo arma cohibita patientius ferantur.

Etiam apud Julium Caesarem B. G. III, 26: *ad munitiones pervenerunt, atque his proruptis prius in hostium castris constiterunt* etc., cum tamen optimi quique codices hoc praebeant, Apitzius non recte, si quid video, *prorutis* scripsit. Quamquam enim ad Caesarem commentariorum minime fucatum scriptorem eae rationes non pertinent, quae in Tacito a nobis in usum vocatae sunt, tamen eo quidem in loco, ubi summam militum alacritatem describere cupiebat, non sane incitatius illud verbum fugisse putandus est. In Caesare enim quamquam summa simplicitas, is tamen verborum mundissimus cultus est, quo solent conspicui esse, qui a pueris inter elegantias luxuriae et ingenii suavitatem aetatem triverunt et nihil magis quam spurca omnia atque vulgaria aspernantes quasi lautis manibus ad tractanda quaeque accedunt. Unde multa in eo verba invenias, quae elegantium illius temporis hominum fuisse dixeris.

Ann. XII, 47.

Sed tunc qui ea vincla admovebat, decidisse simulans, genua Mithridatis invadit ipsumque prosternit, simulque concursu plurium iniiciuntur catenae ac compedes, quod dedecorum barbaris. Trahebatur; mox, quia vulgus duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat; et erant contra, qui tantam fortunae commutationem miserarentur; secutaque cum parvis liberis coniunx cuncta lamentationibus complebat. Diversis et contectis vehiculis abduntur etc.

Duo sunt, quae hic interpretibus negotia facessere et elicere correctionem solent. Atque alterum quidem, quo corrigunt, *moxque vulgus* etc., plane videtur spernendum, neque cur ita corrigamus ulla plane causa idonea est. Itaque multi hodie ad codicis lectionem recte redierunt. Alterum difficilius hoc est. Deest enim, ut videtur, copula ante, *trahebatur.* Quam ut inferrent, varia moliti sunt; quae nunc praetereo. Nam antequam correctionem quaeramus, videndum est, an eius quaerendae causa sit. De quo in alio quidem scriptore Romano vix dubium esse possit; — quamquam illi quidem omnem orationem aliter instituissent. Sed in Tacito tam omnia alia et nova sunt, ut hic quidquam audendum esse negem negitemque praefracte. Eiusque rei id certissimum argumentum esse videtur, quod in aliis locis simillimis nemo unus aliquando haesit, sed omnes securi orationem non iunctam transmiserunt. Talis locus est Ann. XIII, 48: *Quumque seditio ad saxa et minas ignium progressa necem et arma proliceret, Caius Cassius adhibendo remedio delectus. Quia severitatem eius non tolerabant, precante ipso ad Scribonios fratres ea cura transfertur.* Quis hic non aliquam particulam ante *quia*, velut *sed*, aut aliam desideret? Nemo tamen reponere ausus est. Neque magis id nostro loco, si me audiunt, quisquam faciet. Atque etiam postquam breves sententias, quas imperfecta proferunt, punctis maximis a reliqua oratione, quae praesentia habet, *iniiciuntur*, *abduntur*, seiunxi; adeo mihi particulae desiderium exemptum videtur, ut nemo fortasse magis quam ego eam reducendam iudicet. Similis porro, quamquam non eadem, ratio est Ann. XII, 59: *Nec ille diutius falsum accusatorem, indignas sordes perpessus, vim vitae suae attulit ante sententiam senatus.* Nihil enim frequentius, quam bipartitam etiam orationem, qualis haec est, apud Tacitum asyndetῶs enunciari, quae figura apud priores in tripartitam tantum orationem cadere solet; neque tamen hodie desunt, qui, quia aliquando alicui in mentem venerat, *indignasque* scribere, illam particulam contra codicis auctoritatem pertinaciter teneant. Sed alia longe ratio est, ubi ad aliam rem orationem deflectit; illic enim interponere aliquid, quo nova materies disiungatur, plane e Taciti more est. Itaque non possum, quin haec vitiosa arbitrer, XIV, 12 et 13: *Nam Silana fato functa*

erat, longinquo ab exilio Tarentum regressa labante iam Agrippina, cuius inimicitiis conciderat, vel tandem mitigata. Cunctari in oppidis Campaniae, quonam modo urbem ingrederetur, an obsequium senatus, an studia plebis reperiret anxius. contra deterrimus quisque — invisum Agrippinae nomen et morte eius accensum populi favorem disserunt. Nam postquam aliis ad matris foede trucidatae invidiam augendam libertatem regrediendi in urbem paravisse Neronem tradidit, ad ipsius animum venturus particulam haud dubie aliquam ante verbum, *Cunctari* interposuit, (veluti, *Ipse cunctari*). quae nobis male erepta est. Sed ea qualis fuerit, difficile sane est suspicari. fortasse *interea* fuerit, quae compendiose scripta a verbo proxime praecedente, *mitigata* hausta videatur. Nam quod nunc interpolatorum librorum lectionem, *Cunctanti – anxio – disserunt* tantum non omnes amplectuntur interpretes, nimis boni censendi sunt. Neque enim Latinum est, *alicui aliquid disserere*, neque Taciti mori consentiens, opposita consilia in unam concludere sententiam. potius nova oratio incipit a verbis his: *contra deterrimus quisque etc.*

Ann. XII, 54.

At non frater eius cognomento Felix pari moderatione agebat, iam pridem Iudaeae impositus et cuncta malefacta sibi impune ratus, tanta patientia subnixo.

Patientiae nunc omnes praeferunt *potentiam*, eamque fratris Pallantis dicunt esse, de qua capite superiore tractetur. Et fortasse eam ob id intulerunt, quia *subniti* sane solemus rebus robustis et fortibus, qualis potentia est, non remissis et mollibus, qualis est patientia. Sed tamen posse aliquem etiam licentiae suae fulcra quaerere in aliena patientia, nihil est, quod qui vitam inspexerit dubitet. Neque ea ab hoc loco aliena est. Claudii enim patientia atque ignavia ille vel magis, quam fratris potentia fretus quidvis audebat. Quod ut probetur, priora capita, e quibus hoc pendet, accurate perpendenda sunt. Caput enim 52 ita finitur: *Laudati dehinc oratione principis, qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent; motique qui remanendo impudentiam paupertati adiicerent.* Subsequitur statim cap. 53. Pallantis honorificum iudicium, cui ob legem de poena feminarum, quae servis coniungerentur, consul designatus praetoria insignia et centies quinquagies sestertium censuerat. *Asseveravit Claudius contentum honore Pallantem intra priorem paupertatem subsistere. Et fixum est aere publico S. C., quo libertinus sestertii ter milies possessor antiquae parcimoniae laudibus cumulabatur.* Ecquid vides, hic longe aliud agi, quam describi Pallantis potentiam? Quo enim consilio turpissimam senatorum Romanorum contumeliam libertini hominis immanibus honoribus coniungi et opponi censes? Nempe ille nobis describitur adeo Romanae maiestatis oblitus princeps, ut nobilissimos viros Romanos, cum *paupertate* premerentur, quod non sponte ex ordine Senatorum excederent, *impudentes* vocaret, idemque servorum imperio tam patienter obsecutus princeps, ut hominem libertinum praetorem P. R. renunciaret et tanquam antiquae parcimoniae exemplar collaudare non vereretur, quod intra priorem *paupertatem* ter milies sestertium possessor subsistere mallet, atque eodem tempore, quo senatores Romani propter angustias familiares ex ordine patrio proturbarentur, centies quinquagies sestertium dono imperatoris oblatum nollet accipere; ille, inquam, princeps simili *patientia* libertini hominis licentiam provincialem laturus fratri Felici videbatur.

Ann. XII, 63.

Ea [oraculi] *ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, praevisa locorum utilitate, peiora legissent.*

Fortasse, si eo de loco dudum a multis recte intellecto aliquid monuero, acta videbor agere. Sed tamen quum interpretes etiam nunc haerere in eo videam, utrum *praevisa* utilitas locorum sit non visa, an ante visa, verbum me adiecisse et amicus, qui haec dudum in mundo habet, et alii, ut spero, ignoscent. Fieri igitur plane non potest, ut praevisa sint non visa. Nam quod aiunt *prae* saepe esse in compositione idem quod *praeter*, idque *praelabendo*, *praefluendo*, *praefestinando*, similibus satis probari, non sane audiendi sunt. Nam his omnibus in verbis, nisi quod ipsa motum addunt, retinet suam naturam *prae*, ut sit idem fere, quod *ante*, eo tamen discrimine, ut *prae* semper brevitatem quandam et vicinitatem hac etiam in compositione notet, veluti *praecisa oratio* est, ubi omnis verborum luxuria stricte putata est, *praecisae res* sunt res curtatae, *praefracta cuspis*, acriter recisa. ita igitur Tiberis moenia *praelabitur* urbis, i. e. sie fliesst dicht vor den Mauren hin, moenia radit, non autem *praeterlabitur*; ita Toronaeum Thermaeumque sinum *praefestinat* Poppaeus, i. e. brevissima via sinum stringit festinans; ita *praevehimur* litora, quum legimus, *praetervehimur*, quum transverso motu non attingentes ea post nos relinquimus; ut omnino *praeter* est vel immotum vel minus celeriter motum cursu superare et *post se relinquere*, id quod in praepositione *prae* aut plane omittitur, aut casu tantum accedit. velut casu fit, si praefestinans sinum Poppaeus idem praetervehitur, i. e. cursu relinquit; eodem enim verbo usurus esset Tacitus, si praevectus eundem statim cursum retractavisset. Hinc iam patet *praevisa* neque hic esse *non visa*, neque apud Horat. Sat. 1, 3 *pervidere* posse mutari in *praevidere*, ut fecit Bentleius, quia utroque in loco *relinqui*, hic vitia, illic utilitatem, unice urgetur, non casu accedit. Causa vero, cur in re satis aperta haereri soleat, nisi fallor, in eo quaerenda est, quod utilitas visa dicitur, quum tamen illi utilitatem non vidissent. Quem scrupulum ita aliquis facile eximat, ut *videre* dicat nunc esse *inquirere*. Sed eum huius verbi usum tam notum non profecto ignoravisse alius respondeat viros tam doctos, sed eosdem novisse eam notionem non in quaevis eius verbi tempora cadere. Nam nihil esse neque frequentius usu, neque perspectu facilius, quam haec: Primum igitur rei honestatem videamus, vel, ante omnia autem rei utilitatem videre oportet; sed si quis legat, *vidit* eius itineris difficultatem Hannibal, eum *vidit* non interpretari, *inquisivit*, sed *intellexit*; similiter *visam utilitatem* non tam esse *inquisitam*, quam perspectam, non ignoratam. Meque ita disputaturus fere consentientem habebit. Sed simul nunquam obliviscendum moneam, apud antiquos multo magis orationis singulas partes inter se coniungi et quodammodo confluere, (ut qui auribus magis quam oculis orationem usurparent) quam apud nos. Hinc, ut alia taceam, nam late ea res patet, usu saepe venire, ut in rebus quarum iudicium comparatione statuatur, ut est mercedis, pretii, magnitudinis, utilitatis ratio, affirmationem unam per simplicem accusativum addant, ubi nos aut negaturi, aut discrimen allaturi essemus. Veluti non solum distributive dicunt *rerum pretia*, sed etiam *rei pretium* videre, ubi nos malumus, den Werth oder Unwerth erkennen, vel, videre, quod sit vel quale rei pretium. Et possumus nos quoque ferre, *sociorum vires reprehendit*, er tadelte die Kräfte der Bundesgenossen, quamquam praeferamus die Kraftlosigkeit; sed vix possumus dicere, er beklagte die Treue des Mägdleins, ut sit perfidia, quum tamen *fidem puellae flere* sic dicat Horatius, quia reliqua oratio, quid intelligat, demonstrat. Ita si quis dicat, praevisa utilitate sumpsit bellum, omnes intelligerent eam esse rite perspectam. Sed non minus perspicuum erit Romanis, aliquid in iudicio utilitatis esse vel peccatum vel neglectum, si, ut apud nos est, ita vinciatur oratio, *praevisa utilitate peiora legerunt*, ubi ex nostro nos more diceremus, quum tamen, quae et qualis esset locorum utilitas, praevidissent.

Ann. XII, 67.

Adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint, infusum delectabili cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane, an Claudii vi, an vinolentia.

In codicis hanc lectionem optimam cur ita grassentur, ut omissa, *an vi* scribant, *socordiane Claudii an vinolentia*, — in quo dubites, utrum commate ante vel post Claudii nomen sit interpungendum, — nullo plane pacto intelligere possum. Nam causa, cur vis medicaminis minus sit intellecta vel sensa, duplex aut in socordia fuisse dicitur, aut in Claudio; in Claudio rursus aut propria vis et ἐνέργεια naturae, aut praesens vinolentia. In quo et verba omnia Latina et sententia tam per se plana et vera, quam ad rem quae agitur apta est; idque Ruperti diligentia iam vidit et interpretata est. Cur igitur eam causam, quae a naturali Claudii robore petitur damnabimus? Nempe ut apud Shakespearium in regio sene non tantam sanguinis copiam fore eius percussores putaverant, ita minore veneni portione exhaustum Claudium confici posse speraverunt. Id enim non vereor, ne quis a dialectica Tacitum vellicet et tripartitam illic causam per *utrum*, *an*, *an* proponi arguat, cum bipartita sit; nam laxiorem in talibus Latinorum orationem nemo ignorat. Unum adiiciam. *Socordiam* alios intelligere convivarum, alios Claudii. Sed in neutrum, puto, ea convenit; et de Claudio alii viderunt; qui autem inter convivas data venena noverant, adeone fuisse vecordes fingi possunt, ut principis sua manu iam interituri discrimina vitae non anxie animadverterint? Multo profecto rectius socordiam in eo quaeras, quod praeceptis Locustae, vel male neglecta aliqua veneni particula, vel maiori ciborum copiae affuso medicamine, vel aliqua alia in re minus accurate erat obtemperatum.

Ann. XIII, 3.

Nec in Claudio, quotiens meditata dissererentur, elegantiam requireres.

Etiam hanc codicis lectionem ante me haud pauci fuerunt, qui a Puteolani coniectura, *dissereret* tuerentur. Sed non solum propter id defendenda est, quod Latina est, sed etiam propter Taciti consuetudinem, qua imperatorum verba referens, saepe voce passiva utitur. In qua personae reticentia aut fallor, aut latet quaedam, summae fortunae concessa, reverentiae significatio, quae iam illo aevo usurpari coepta est. Exempla non pauca sunt, velut Ann. III, 71: *responsum prompsit Caesar — memorabaturque*; 75: Iunia testamento Caesarem omisit; *quod civiliter acceptum, neque prohibuit* etc.

Ann. XIII, 5.

Nec defuit fides [promissis Neronianis] *multaque arbitrio senatus constituta sunt: ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur; ne designatis quidem quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset. Quod quidem adversante Agrippina, tanquam acta Claudii subverterentur, obtinuere patres.*

Miror hic, ubi *quidem* haud pauci abiiciendum aiunt, dubitanter Waltherum loqui, quum tamen verum tantum non omne videret. Est enim ea particula quae proxime alia tamen notione reditura hominum fastidiosorum aures, nisi fallor, offenderat, omni modo servanda. Id enim nunc agitur, ut Neroniani seculi felicitas per prima initia describatur. Ea autem continebatur in reddita consilii publici auctoritate et in coercita matris imperiosae impotentia. Princeps enim (cap. 4.) ea maxime de-

clinabat, quorum recens flagrabat invidia: discretam se habiturum domum et rempublicam, antiqua munia redditurum senatui. Ea autem iura tanta libertate usurpavere patres, ut *ne acta quidem Claudii* intacta relinquerent. Hinc iam vides, ut illud libertatis senatoriae extremum urgeatur, particulam *ne quidem* abesse plane non posse. Vere me autem rerum ordinem exposuisse ipsa res docet. Nam tangebat quidem Claudii acta etiam lex Cincia, ut tamen eis magis conspiraret, quam adversaretur; siquidem ipse iam Claudius, ut XI, 7 discimus, nisi Suillii aliorumque eloquentia mentem vacillantem vicisset, eam erat instauraturus. itaque in eo se tum continuit, ut pecuniis capiendis poneret modum. Verum ut gladiatorio ludo quaestura venundaretur, auctore P. Dollabella, Claudius ipse instituerat, ut XI, 22 non sine reipublicae miseratione Tacitus tradidit. Itaque Agrippina etiam illud quidem S. C. de lege Cincia tacita patitur, huic vero, *tanquam acta Claudii subverterentur*, adversatur. videbat enim, quo irent patres, i. e. Seneca et Burrus; ab iis enim, quo Agrippinae potentiam frangerent, haec omnia fuisse provisa, non est quod dubites. Hinc igitur ad alterum felicitatis publicae documentum venit, ad adductum Agrippinae imperium iam relaxatum. Obtinuit enim vel contra matrem senatus quod voluerat. Ea autem quanta victoria fuerit monstraturus Tacitus, statim quaedam exempla, quibus quantum ea mulier tunc etiam ausa sit moneamur, subiungit. Sic quidem ita omnia inter se apta et communita esse mihi videor aperuisse, ut illud *quidem* tanquam totius fabricae columen non sine summa totius loci iniuria labefactari posse quisque intelligat.

Ann. XIII, 8.

Corbulo omnium ora in se verterat, corpore ingens, verbis magnificis, et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.

Parva res est, nec tamen silentio transmittenda. nam cur magis placeat, quod inferunt, *verbis magnificus?* Amat, ut nemo ignorat, ita variare orationem Tacitus, ut nunquam remisse nos patiatur instituto cuidam verborum cursui nos dedere et languescere animis. Noverat enim ad quam fastidiosas aures et animos quam remissos oratio aptanda esset. Similiter plane Hist. I, 53 describitur *Caecina, decora iuventa, corpore ingens, animi immodicus, cito sermone, erecto incessu studia militum illexerat.* Apposui exemplum, non rem notam illustraturus, sed codicem hic quoque uti defenderem. Nimis enim patienter dicto obedientes sunt Lipsio, qui ingenio ludens „an *scito?*" quaerit, neque tamen quidquam mutare audet. Audent autem omnes, quotquot video, interpretes. Sed *scitus sermo* quid habet, quo se vel nobis tantopere commendet, vel militum aut ingenio placuerit aut iudicio sit comprobatus? Quid omnino *scitus* sermo cum feroci Caecinae natura egregie per omnia expressa habet commune? *Citus* vero sermo, seu incitatus, nonne aptissime respondet ad *immodicum animi?* Nonne factus est plane ad militum ferocia ingenia devincienda?

Ann. XIII, 17.

Festinationem exsequiarum edicto Caesar defendit, id a maioribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera neque laudationibus aut pompa detinere.

Id nobis eripere tentant; sed similes locos iam excitavit Walther, velut Hist. IV, 33: *Id solum, ut in tumultu, monuit, subsignano milite media firmare.* adde XIII, 56: *Id dis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret.* Nam quod hic *ut maneret* sequitur, nihil ad rem pertinet, et eadem est pronominis abundantia, sive dicas, *id dis placitum, manere,* sive *ut maneret;* nam *ut* ad consilium, quod

placebat, non ad *id* refertur. Similiter nostro loco licet scribas, *ita a maioribus institutum, subtrahere oculis* etc. Siquidem omnino Latinis aeque atque Graecis usurpatum est, praemisso *hoc*, *ita*, *τούτῳ*, *ὧδε*, in orationem insequentem advertere animum, quamquam nihil deinde sequitur, quo proprie id pronomen demonstrativum expleatur. Neque quisquam hoc ignorat, aut illos locos supra appositos similesve tentavit. Cur itaque hic istud pronomen delebimus, quia aliquando Ernestio minus placebat et frigere videbatur. Nam omnino fatendum est, in re critica atque grammatica praestantem illum virum potius sensum aliquem consuetudinis, exercitatum sane atque subactum, sed tamen incertum, quam certam iudicii legem sequi maluisse. Quo fit, ut si quando ad legendum minus animo vigens ac solutus accesserit, saepe soleat litem movere rebus insontibus admodum. Est igitur ad illius correctiones iudicandas ut modeste ita caute accedendum. Atque hic, puto, eam spernemus.

Ann. XIII, 18.

At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere, super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripiens tribunos et centuriones comiter excipere, nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quaereret ducem et partes.

Lipsium secuti tantum non omnes *corripere* corrigunt. Sed non temere in Tacitum tale invehendum erat omoeoteleuton, *in subsidium corripere, tribunos excipere.* Et quod maius est, non temere in aciem primam res protrudenda, quam ille consulto in subsidio relinquere voluerat. Nam avara illa quidem semper fuerat; tunc autem aliud agens omnes vires in partes quovis modo augendas intendebat; in quo pecunias quidem tantum in instrumento habebat. Itaque iure pecunias correptas in participio memorans ex reliquorum consiliorum ordine eximit, quae omnia ad homines colligendos referuntur, Octaviam, amicos, tribunos, centuriones, nobiles. Quia autem centuriones tribunique comiter erant excipiendi, avara ista mulier, quasi eius rei in subsidium, intentius pecunias corripiebat.

Ann. XIII, 19.

Statim relictum Agrippinae limen. Nemo solari, nemo adire, praeter paucas feminas, amore an odio incertas.

Miror profecto, quod uno Walthero excepto, omnes interpolationem, *incertum* praeferre video. Nam nonne etiam Graece ipsas eas feminas *ἀδήλους* vocares *φιλίᾳ ἢ ἔχθει παρελθούσας*? Atqui plane eadem res est in Latinorum *incerto*. Quamquam enim hic usus apud Latinos non tam late, quam apud Graecos patet; plus tamen in talibus Taciti aevum sibi licere putavit, quam antiquiores. Et in ipso quidem nomine id positum est, ut sua natura plane possit in usum Graecum vocari. Si quidem incertus non modo is est, qui dubitat et huc illuc fertur et fluctuat, sed etiam is, quem fide suspecta nos in dubium vocamus; velut amicus incertus tam is est, cui nos fidem denegamus, quam qui inconstans est; et incertum iter non solum id, quod tenuia tantum refert vestigia, sed etiam id, quod an ad finem, quem petimus, nos vecturum sit, dubitamus.

Sed ne optimi amici, qui me in hanc palaestram vocavit, iam dudum exhausta patientia sit, vehementer vereor. Itaque missis his levioribus rebus ad ea veniamus, quae ille maiora, sed a me male transmissa conqueritur. Et primum quidem ille ex me quaerit, quid sentiam de

Ann. XI, 23.

Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum Iulium apud Alesiam obsederint. Quid si memoria eorum moreretur, qui capitolio et ara Romana manibus eorundem per se satis fruerentur sane vocabulo civitatis; insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent.*

In quo inique mecum agi video. Nam in truncis quis certam medicinam praestet? Sed tamen quid possimus, experiamur. Ita igitur, ut praescribitur locus, in codice legitur, nisi quod non habere videtur *per se*, sed p^st3. Est autem e sententiae decursu expediendus. Nimirum pugnant hic patres, ne primores Galliae Comatae, civitatem Romanam pridem assecuti, ius adipiscendorum in urbe honorum accipiant. Urbem tanquam in captivitatem venturam eorum, qui quondam hostes eam vi et ferro petierint, ipsum divum Iulium Alesiae obsederint. Hinc iam alia exempla ac vel post divum Iulium atrociora quaeri, ex particula *quid si* manifestum est. Ea vero exempla, (quippe, apud Claudium dicunt vehementissimum antiquitatis admiratorem), spernentes ista recentia, a vetustate petunt: *Quid si memoria eorum inoreretur.* Sic enim lenissime *moreretur* corrigendum, ut iam alii viderunt, nisi quod *inorirentur* scribunt. Neque tamen propter unam lenitatem ita scribendum est, sed quia verbum inveniendum erat, quo sponte tristem eam memoriam exitari quasi de inferis sentiremus. tale enim hunc orationis progressum desiderare ultro liquet. et propter hanc ipsam causam nova hac compositione utitur, qua *oriri* infestam praepositionem *in* assumit. Iam vero quibus a rebus exaggeratio quaesita sit, ipsa oratio aperit. Nam in recenti memoria *Alesia* erat, in antiqua ipsum *capitolium* et *ara Romana*; Num aram Maximam intelligit? Et fortasse illic a Gallis senes illos triumphales, non aedium in vestibulis caesos vetus erat fama refota per Claudium; an corrigendum, in *foro Romano*? nam *arcem*, quam alii quaesivere, propter sequentia spreverim, teneamque aram et interpreter Maximam. Illic igitur a Gallis Iulius *obsessus*, hic *eorundem manibus*, quid aliud dicas, nisi occisos senatores Romanos. gentes antiquissimas, Papirios, alios? His igitur ingressus vestigiis, neque quidquam in codicis lectione mutans, (nisi quod post *qui in* addidi,) sed vitiosum p^st* solvens ita lego: *Quid si memoria eorum inoreretur, qui in capitolio et ara Romana manibus eorundem perissent?* Hic enim orationem finiri et praecedentis sententiae natura demonstrat et insequentis comparatio. *Satis* enim huc pertinere clarum est. Sequitur enim iam ea orationis pars, qua adversariis respondent, qui honores Gallis concedebant. Concedunt igitur etiam hi aliquid; *fruerentur sane vocabulo civitatis*, sed ita ut ultra addenda beneficia denegent: *insignia patrum ne vulgarent.* Quum igitur verba *fruerentur* etc. beneficia iam concessa ipsa nominent, quid magis probabile, quam *Satis* incepisse sententiam eam, qua satis magna ad illorum merita iam esse data beneficia statuebant? Quae qualia fuerint, et aliunde et ex senatus consulto, quod fine cap. 24. affertur, satis perspicuum est: *Primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt. Datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum Populo Romano usurpant.* Quapropter, etiam si non is sum, qui ipsa Taciti verba me posse divinare arbitrer, praesertim cum de numero literarum quae interierint, nihil doceamur, talem tamen fere sententiam perisse iudico: *Satis honori datum; fruerentur sane vocabulo civitatis.*

Ann. XII, 65.

Ob haec (Lepidae) mors indicta multum adversante Narcisso, qui Agrippinam magis magisque suspectans prompsisse inter proximos ferebatur, Certam sibi perniciem, seu

Britannicus rerum, seu Nero poteretur; verum ita de se meritum Caesarem, ut vitam usui eius impenderet. Convictam Messalinam et Silium. Pares iterum accusandi causas esse. [*si Nero imperitaret; Britannico successore; nulli principi meritum;*] *Ac novercae insidiis domum omnem convelli, maiore flagitio, quam si impudicitiam prioris coniugis reticuisset. Quamquam ne impudicitiam quidem nunc abesse Pallante adultero etc.*

Nihil me de loco praescripto novi allaturum, unci appositi monstrant. Eorum enim accedo sententiae, qui inclusa verba abiudicant Tacito. Sed quum interpretes tam veteres quam recentes in alia omnia discedant, fortasse si argumentis meum iudicium corroboravero, non inutile faciam. Itaque ante omnia verba inclusa quid per se sententiae habeant inquirendum est. Quamquam id quidem, si integris oculis inspicias, nihil difficultatis habet. Nam duae res fortasse futurae inter se comparantur et opponuntur, imperium Neronis et Britannici; ita tamen, ut non in unam et continuatam sententiam compositae videantur, sed separatae plane neque altera alterius ullo modo curiosa. Sequuntur deinde verba, quae ut aliquam explicationem habeant, necessario aliquid de praecedentibus sententiis praedicare debent. Idque hoc unum potest esse: Neutri futurorum fortasse principum se quidquam, quo bene mereretur, praestitisse. Iam vero ea oratio, quantumvis mira, talis tamen est, ut de aliqua eius correctione aut interpretatione aliorsum detorquenda ne cogitari quidem possit. Neque id quisquam, quantum video, conatus est; nisi quod in obscuriore parte, *nullum principi meritum*, varia tentarunt, quae tamen sententiae naturam ipsam non mutant. Eos enim refutandos pluribus nego, qui putant has res posse coniungi: *Pares iterum* [i. e. nunc, apud Claudium] *causas accusandi esse, si* [i. e. quondam, post Claudium occisum] *Nero imperitaret.* Iam igitur ad totum orationis decursum et consilium accedamus. Est ea oratio Narcissi, liberti; is inter amicos vera scilicet animi consilia promit. Iam autem, quamquam Agrippinae furores nunc ipsum declinaturus et Britannici causam, apud quem haec loquitur, ob id ipsum amplexus est, tamen nihil se quidem suam ob causam moliri, more eiusmodi hominum, praedicat: *Sibi certam perniciem, seu Britannicus rerum, seu Nero poteretur.* Principis saluti se vitam impendere. Sed esto, nos hic legere veram viri probi sententiam, non hominis astuti fictam et falsam praefationem, et utrumque thema — principis salutem — suam perniciem quondam certam — pluribus exponi. Ergo utra pars prior tractetur, apparet. est cura salutis: *Convictam Messalinam et Suillium. Pares iterum accusandi causas esse.* Quibus verbis principis et imperii salutem intelligi, ab utraque uxore petitam, non impudicitiam, et praecedentia arguunt (*ut vitam usui eius impenderet*) et sequentia (*quamquam ne impudicitiam quidem abesse*) et comparatum cap. 30 lib. XI. In eadem vero re post verba inclusa pergitur: *Ac novercae insidiis domum omnem convelli.* In quo hoc observo: Plane a vero aberrare, qui *ac* simul tollendum iudicant. Quod si fieret, oratio insequens, utpote appositio prioris, pergeret causae paritatem in utraque coniuge porro docere. Quod tantum abest, ut fiat, ut novercalia odia et domus convulsa sequantur, quae in Messalinam non cadunt, sed cadunt in Agrippinam. Et in eam unam haec dici sequentia monstrant, *maiore flagitio, quam si* i m p u d i c i t i a m p r i o r i s c o n i u g i s *reticuisset* etc. Igitur *ac* ad ipsum invidiae pondus, qua Agrippina petitur, augendum more Taciti praemittitur et retinendum est. urgetur enim consulto prae Messalinae culpa, nam apud Britannicum filium verba fiunt, culpa Agrippinae. Inter hanc autem orationis continuationem interponi non posse verba ista inclusa nihil probationis egere videatur. Neque magis possunt alio aliquo loco collocari, ubi aptius legantur. idque te ipsum, an fieri possit, experiri iubeo. Neque enim potest.

Et si posset, tamen essent abiicienda. Nam nihil docent, quod non iam ante melius legerimus illis verbis, *certam sibi perniciem* etc. Et si ad haec verba tamen aliquid explicationis adderent, nihilominus essent abiicienda. nam ea oratio nequaquam ullam explicationem desiderat. Nam, ut initio dixeram, omnis ea instantis perniciei praefatio astuti hominis inania verba sunt, quibus dum Agrippinae odia incendit, in Britannici gratiam et miserationem irrepere ac se tueri cupit. Nam apud hunc ea oratio habetur: *Haec atque talia dictitans amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturrimum precari, modo ad deos, modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulcisceretur.* Ecquid iam vides, qua mente ista omnia dicta sint? Et apud hunc exponeret, cur sibi pereundum esset, *seu Britannicus rerum, seu Nero poteretur?* Nimirum rhetor aliquis illam sibi declamationis materiam notaverat 1, Si Nero imperitaret; 2, Britannico successore; 3, nullum principi meritum. Unum praeterea moneam. Ex tota hac nostra explicatione apertissime patefieri, non posse, quod factum video, *reticuisset* mutari in *retinuisset*. *Retinere* enim imperatoris uxores oratio esset hominis superbissimi, (praesertim apud filium, cuius tum gratiam inire cupiebat!) quasi ille suo arbitrio eas vel faceret et retineret, vel abiiceret et condemnaret. Ille vero *tacuisse* iam mallet illius impudicitiam, qua retecta et punita multo maius flagitium in domum irruperat. De eadem re cf. XI, 30, ubi non recte teneri interpolationem video: *Tum potissimum quemque amicorum vocat.*

Ann. XIII, 26.

Sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe, perscripsere tamen in consensum senatus, Ille an auctor constitutionis fieret, ut inter paucos et sententiae adversos, quibusdam, Coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse frementibus, ut *vi ne, an aequo cum patronis iure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent,* [*impulere*] impune, *vel poenam suam dissuadentes: „Quid enim aliud laeso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget? Ceteras actiones promiscas et pares esse." Tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat.*

Hunc quoque locum plurimorum interpretum curis tentatum et tantum non desperatum, quum alii plane corruptum, alii male mutilatum dicerent, si leni correctione me restituisse dicam, vereor paene, ne plerisque nimis confidens videar. Sed quoniam mihi non semel eum intuenti, sed saepius, et postquam primus inventionis fervor dudum resedit, tamen omnia vera et plana videntur, quae vel ad correctionem vel ad interpretationem excogitavi, maior in dies spes me occupat, fore, ut alios quoque consentientes nanciscar. Atque duo quidem vitiosa esse ultro occurrit. Nam post verba, *eo prorupit*, excidisse *ut*, idque a *vi* statim subsequente esse haustum et perspicuum est et a multis iam ante me intellectum. Itaque inter verba Taciti eam particulam recepi. Neque minus simplex alterum vitium est. Namque *impulere*, quod uncis inclusi, a reliqua oratione obliqua tam aperte abhorret, ut iam codicum librarii *impudente* vel *impudentes* correxerint, minus tamen vere coniicientes, quam homines docti recentiores, qui *impune* rescribendum esse viderunt. Itaque rursus postquam verbis iam alii prospexerunt, mihi ut sententiarum naturam patefaciam, relictum est. Quamquam vel in hac, ut nunc a me disposita verba vides, quid potest admodum obscurum videri? Consules de revocandae libertatis iure, si qui liberti male meriti essent, ad Neronem perscribunt praemittuntque argumenta eorum, qui adimendam censebant: *Quibusdam irreverentiam eo prorupisse frementibus, ut eorum sententiam consultarent, vi an aequo iure agerent.* Igitur illi frementes se ipsos eam irreverentiam

expertos dicebant; *eorum* enim sententiam, — quid vero eo facto impudentius vel ad firmandum S. C. validius esse poterat? — patrum sententiam liberti isti consultarant, vine agerent an iure cum patronis. Atque quod illuc genitivum *eorum* referendum non videbant, ceterae etiam sententiae percipiendae obfuit. Ceterum iam nuper, cum de Ann. XV, 12 tractaremus, non unum locum attulimus, ubi pronominum usus per orationem obliquam obscuratus difficultates peperisset interpretibus; alia exempla qui quaerat, ad Ruperti indicem plura praebentem ablegamus. Cetera iam omnia plana. Liberti non modo lingua impudentes ultro etiam manus intendebant, vel impune, quia ignavi patroni, vel poenam insolenter dissuadentes. Proxima iam verba ipsa sunt dissuadentium poenam, ut appictae per me notae declarant. Sed hic fortasse huic interpretationi adversarios exstituros non iniuria vereor, qui inauditum hoc clament, ut in aliam orationem obliquam, nihil monito lectore, alia inferciatur, quam nemo, nisi promisso capillo hariolus, sit dispecturus. Neque tamen ego quidquam deterreor. Nam primum nonne unusquisque exspectat exemplo iri demonstratum, quibus illi argumentis poenam dissuaserint? Deinde verba haec: *Quid enim aliud* etc. nonne proxime coeunt et referuntur ad eos, qui poenam dissuadent? Illa autem cavillatio, qua ut in felicem Campaniam sese relegent patronos hortantur — quam insolentiam cum non intelligeret, correctionem Lipsius meditabatur — quem quaeso magis, quam os libertorum deceat, qui nulla urbis reive publicae caritate tenentur, sed unam licentiam sectantur vitaeque delicias? Neque tamen hoc urgeo. possit enim aliquis pertinacior haec ad indignationem patrum referre malle, quam ad libertorum petulantiam. Sed idemne etiam iudicet de sequentibus: *Ceteras actiones promiscas et pares esse*? Hoccine enim senatoris est, conqueri, quod civium actiones pares sint et aequalia iura? Id quidem quocunque vertes, non potest ulli ingenuo homini tribui, nedum ei, qui aliorum iniurias depellere cum maxime connititur. Sed libertos quidem iuris aequalitate apud eos ipsos quibus debent insolenter gloriari, patronos suos, quos patrum instar colere debebant, ut ius experirentur aequum, cuius subterfugia norant duntaxat, lacessere, hoc, inquam, scelus tale ac tantum erat, ut post id impietatis exemplum ad suam iam propriam sententiam orator deflecteret: *Tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat.* Ita igitur orationes eas duas satis sibi distinxisse Tacitus videbatur, si modo ad lectionem non sine iudicio accederemus. Ceterum hoc non unum exemplum esse; ubi in aliam alia oratio obliqua includatur, probatum est Ann. XIV, 20, quem locum ante Waltherum non recte interpretabantur, hic autem vim mihi verbis attulisse videtur. Ego interpunctione loci naturam aperiam: *Quippe erant, qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset; — nam antea subitariis gradibus et scena in tempus structa ludos edi solitos, vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse; — „Si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret; ne spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetor sederet nulla cuiquam civium necessitate certandi.“* Hoc dico: ut coniunctivi, *continuaret*, *servaretur*, defendi possint, pendere putandi sunt a coniunctione, *quod mansuram* etc. Iam autem id fieri non posse omnes, puto, mecum consentient. Aut igitur *quod* etiam ante *si consideret* repetendum erit, aut quod alii codices iam apposuerunt, *ne consideret*, apponendum, servandum tamen alterum *ne*, ante nomen *spectaculorum*, quod ii libri omittunt.

Ann. XIII, 41.

Adiicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta extra [tecta tenus] sole illustria fuere; quod moenibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum fulgoribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur.

Ita quidem is locus a Fr. Rittero, qui ab interprete esse verba inclusa iudicat (quamquam quid eam interpretationem flagitarit, haud facile dicas) est constitutus. Priores autem interpretes nihil nunc moror, quia una mihi codicis Florentini auctoritate haec res profliganda videtur. Hic enim si quis alius locus factus est, quo quanta uni huic libro fides habenda sit, et quas in difficultates immergamur, si aliorum interpolationes respiciamus magis quam illum, patefieri possit. Is igitur liber haec habet: *nam cuncta extra tectis* h*ac tenus sole illustria fuere; quod repente moenibus ita atra nube coopertum fulgoribusque discretum est, ut* etc. Quae quia vitiosa sunt, tumultuantium librariorum eas interpolationes pepererunt, quas ceteri libri habent. e quibus, quas corrigendi vias, si quando aliquid mutare auderent, illis temporibus haud raro quaesierint, plane intelligas. Nam quae parva sunt, totique sententiae percipiendae non magnopere videntur obstare, securi relinquunt, tanquam quae levi aliorum cura facile perpoliantur; in gravioribus autem non parcunt verbis; adeo, ut qui nostram modestiam in illa tempora conferant, non ex ingenio quidem librariorum eam verborum amplitudinem potuisse nasci arbitrentur. Atque id ne nostro quoque in loco multis accidat ut credant, est sane verendum. Sed rem tamen ita, ut dico, habere mihi quidem certissimum est. Nempe aliquo casu, ut ex ipso perverso verborum ordine facile intelligitur, nomen *moenibus* ex suo loco erat deturbatum. Id autem nomen si suo loco reddideris, omnis erit sententia persanata, ita: *Nam cuncta extra, tectis ac moenibus tenus, sole illustria fuere; quod repente ita atra nube coopertum* etc. In quo erunt fortasse, qui in laxiore iunctura, qua *quod* ad praecedentia *tectis — tenus* referatur, haereant. Sed eos, quantum Romani homines in pronomine relativo audeant, immemores dicam. Ut enim nihil moveantur, si ita sit scriptum: *id autem repente nube coopertum*, ita relativam orationem pariter ferendam sibi persuadeant. Neque hoc uno loco verborum ordo apud Tacitum male turbatus est. Veluti alter est, qui omnium adhuc interpretum sagacitati sese subduxit: neque tamen minus quam hic, si accuratius inspicias, depravatus, Hist. I, 49. *Galbae corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis eius hortis contexit.* Quid enim? tantumne id ausum, proiectum corpus imperatoris misere trucidati vexare ludibriis, ut tenebrarum licentiam operirentur? Aut tantumne eius odium, ut quum interdiu non liceret, noctu saltem ultionis cupiditatem explerent? Potius aut ferox aliquis miles, qui praeteriret, aut homo quidam perditus, qui novo imperatori fortitudinem suam commendaret (nam, ut c. 44. legimus, *plures quam centum et viginti libellos praemium exposcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius postea invenit*) *neglectum diu corpus* palam et cum ostentatione impetierunt, veluti statim initio, cap. 41, discimus: *crura brachiaque foede laniavere; pleraque volnera feritate et saevitia trunco iam corpore adiecta.* Aut enim omnia me fallunt, aut hic iam *plurima ludibria*, quae nunc ob miserationem, ubi sepultura tradenda est, repetuntur, descripta legimus. Nam *praefixa contis capita* non statim post caedem et iugulum haustum, (cap. 41.) sed capite demum 44[to] commemorantur. At *ludibria* illa fortasse foede quaedam recisa membra nobis enarrant, quae ne a spurcissimis quidem interdiu petantur. Quod quam longe a verisimili abhorreat, non urgeo; sed nonne, si id volebat Tacitus, alio modo esset elocutus, quam *ludibriis plurimis?* Igitur loco movendae tenebrae et ita constituendus locus: *Corpus diu neglectum et plurimis ludibriis vexatum dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis eius hortis licentia tenebrarum contexit.* Nam ne iacuisse quidem per noctem corpus contendo, fecitque ut hoc putaretur propter miserationem adiecta vox, *diu neglectum.* Nam

Plutarchus in Galba, cap. 28: *Τὸ δὲ σῶμα*, inquit, *τοῦ Γάλβα Πρίσκος Ἑλβίδιος ἀνείλετο τοῦ Ὄθωνος ἐπιτρέψαντος.* Id autem humanum facinus, quod Tacitus, nequaquam aequus Othoni iudex, tantum non reticet, non sane in posterum diem dilatum fuerit. Atque consentit, ne dubites, Tacitus ipse. Ita enim post compositas turbas primas c. 47 pergit: *Exacto per scelera die novissimum malorum fuit laetitia. Vocat senatum; — accurrunt patres. — Otho cruento adhuc foro per stragem iacentium in Capitolium atque inde in Palatium vectus concedi corpora sepulturae cremarique permisit.* Post haec autem statim sequuntur Piso et Vinius, ille a Verania uxore, hic a Crispina filia compositus et brevis utriusque viri descriptio. In quo, quod obiter moneam, non prudenter nobis contra codicem Vinii epitheton verum eripiunt; cum enim nominetur cap. 48: *audax*, *calidus*, *promptus*; *callidum* malunt. sed contra Taciti iudicium, quod iam ipsa verba, quibus hoc circumdatur medium, demonstrant. neque minus praecedentia. Nam antea *severe integreque* provinciam *rexit. Mox Galbae amicitia in* *a b r u p t u m* *t r a c t u s*, *audax*, *calidus* etc. Statim igitur post hanc Pisonis et Vinii commemorationem sequitur *Galbae diu neglectum corpus.* Idemque comprobant sequentia: *Caput per lixas calonesque suffixum — p o s t e r a demum d i e repertum et cremato iam corpori admixtum est.* Quamquam igitur res certa videtur, afferam tamen memorabile Plutarchi testimonium, in Galba, c. 28: *ἔθαψε δὲ νυκτὸς Ἀργεῖος ἀπελεύθερος.* Non enim tantum quod volo comprobat, sed etiam, ut alii multi loci, eum Taciti libris usum convincit, et Argium, cum hic dicatur *e prioribus servis*, interpretatum esse *ἀπελεύθερον*, quasi *prius servum* legisset. Tertium locum transpositione sanandum adpono breviter, Ann. XIV, 20: *An iustitiam augurii et decurias equitum expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum, — egregium iudicandi munus! — perite audissent?*

Ann. XIII, 44.

Ille uno cum liberto ferrum veste occultum infert. Tum, ut assolet in amore et ira, iurgia, preces, exprobratio, satisfactio, et pars tenebrarum libidine seposita. Ex qua incensus nihil metuentem ferro transverberat etc.

Quamquam iussus verecunde tamen ad hunc locum accedo. Dicendum enim erit contra Imm. Bekkerum, cuius non minus rarum ingenium admiror, quam veneror fidem candidam et integritatem. Is autem ex codicis errore, *et quastim census* rescripsit, quod supra legimus, *Ex qua incensus.* alii ante eum, ut librorum interpolationes taceam, *qua statim incensus*, *ex qua succensus*, *ex qua statim incensus*, *ex qua aestu incensus*, *et quasi incensus*, *atque ita* vel *sic infensus*, *atque aestu incensus*, *exin oestro incensus.* In his omnibus (una tamen excepta) coniecturis haec maxime reprehendo. *Incensus* absolute non ponitur, sed aliquod sui complementum desiderat. Id quum hic non addatur, (de *aestu oestro*que deinceps dicemus) e reliquo tenore erit quaerendum. Id vero fieri nunc non posse, ipsa orationis natura demonstrat. ea enim vehementer ad extremam ferociam festinans in sequentia prona proripitur, non priora lente respicit. Sed ut aliquid suppleas, quid sumes? *Libido*, quae proxime praecedit, addi non potest. nam *ex ea* i. e. statim post eam ferro mulierem transverberat. Atque etiam si non corrigas *ex*, non tamen ea ille libidine incensus esset, quae proxime narrata est. Itaque fortasse supplebimus, quae aliquo modo reticeri poterat, et ab aliis additur, *iram*, *aestum*, *oestrum.* Nihil nunc dicam ad *aestum*, qui per se in hac oratione ferri non potest, sed ira tota perversa est. Nam unde repente aliquis ex ea libidine iram colligat? Hoccine naturale? aut, ut aliquando fieri possit, num ad ceteram orationem est aptum et congruens? Hoc enim alterum est, quod non satis attenderunt. Nam ille non tum primum incensus ira est. Advenerat ille

iratus, atque ferox illud consilium interficiendae post expletam libidinem mulieris certum et promptum attulerat, ne in alius potestatem veniret. Id et tota oratio praecedens aperte monstrat et supra apposita verba prima: *Ille uno cum liberto ferrum sub veste occultum infert.* Itaque nihil ages, si iram de amantium invidia et zelotypia interpretaberis, quam sane notionem ira ea in re propriam habet. Nam non tum est incensus ira. Siquidem *incensus* nunquam participii naturam deponit, neque in adiectivi indolem transiens perpetuum animi affectum describit, sed eum notat, qui nunc incenditur vel incensus est. Itaque omni modo id verbum falsum est, ac tale inveniendum, quo immanis iste furor, quo ille mulierem, postquam se totam eius voluntati tradiderat, dissoluto pectore nihil metuentem transverberat, mollitiae praecedenti fortiter opponeretur. Id autem verbum iam Ernesti acumen invenit. Scribendum est enim haud dubie: *Ex qua statim infensus nihil metuentem ferro transverberat.* Recte enim *ex qua.* est enim continuo ea actio ferox addenda libidini. Et propter eandem causam vestigia codicis *statim* ostendentis non sperno. Nam cum ad hanc ferocitatem praeparandam omnis praecedens oratio composita sit, magno aliquo pondere ipsa augenda est. *infensum* autem, quod animum hostilem hostilemque actionem coniungit, vide, quanto cum terrore amori necem copulet. Neque alliteratio, *infensus ferro transverberat*, casu nata sed consulto quaesita fuerit. Nos fortasse magis etiam vim orationis sentiamus, si scriptum sit, *ex qua statim infesto ferro nihil metuentem transverberat.*

Ann. XIII, 55.

Boiocalus dux Ampsivariorum agros a suis occupatos ut tenere liceat Avito persuadet: *Quotam partem campi iacere, in quam pecora et armenta militum aliquando transmitterentur? Servarent sane receptos gregibus inter hominum famam; modo ne vastitatem et solitudinem mallent, quam amicos populos.*

Quod non semel mihi in hac disquisitione praefandum fuit, me non tam nova proferre, quam vetera confirmare, id in difficili hoc loco rursus repetendum est. Itaque quando cogito, quam saepe fiat, non solum in rebus maximis iudicatuque difficillimis, sed etiam in hisce minutis et illustribus, ut quae priorum hominum vel ingenia extuderint vel industria pararit, ea contempta iaceant; et quando deinde, unde id accidere soleat, apud animum reputo, duas plerumque causas mihi videor invenire, ex quibus ea res et scribentibus tristis et literarum incrementa inique retardans proficiscatur. Quarum altera haec est, quod plerique homines non ea qua decebat subtilitate, quid alii sentiant, inquirunt; altera vero, quod qui scribunt legentium vel festinationi vel supinitati non satis indulgent, sed quae erant perspicue docenda, satis habent obscure significasse. Hinc igitur in re nostra factum videtur, ut Gronovius, at quantae vir auctoritatis, non sit auditus*); videndumque est, an quod illius aucto-

---

*) Sic enim ille Obss. I, 4, pag. 35, ed. Platn: Quam exiguam ait esse partem campi, quae non quidem ab ipsis veteranis deductis et assignando occupata esset; sed in quam communem modo pecora aliquando et armenta agerentur? Qua interrogatione innuit longe maximam partem vacare. Tenerent sane, pergit, agros soli, nec communicarent, quos pecore inducto inter hominum habitationem recepissent: modo in ceteris, qui ociosi, exclusi, et in nullum hominum usum conversi iacerent, ne mallent vastitiem et squalorem, quam amicos populos colentes. — Non in omnibus me magno viro assentire, sqq. docent. Neque ipse satis sibi constat. Nam deinde ita pergit: Recepti igitur inter hominum famam agri, qui non sunt emissi et exclusi extra habitationem et cultum humanum, etc.

ritati parum successerit, meae succedat simplicitati. Itaque loquens inducitur Boiocalus, homo Germanus, qui quum Ampsivarii a Chaucis e sedibus pulsi agros late patentes, qui in finibus Germaniae vacui iacebant, et quos ante iam Frisii occupaverant, insedissent, cedere e novis sedibus iussus a Dubio Avito indignabundus ea de iniuria disserit. Neque enim Germani nomadum instituta noverant et pascuorum causa vacuos iacere agros insolentiam interpretabantur: *Sicuti caelum deis, ita terras*, aiebant, *generi mortalium datas, quaeque vacuae, eas publicas esse.* Ingentes igitur campos iacere conqueritur, in quos aliquando pecora militum mitterentur. Neque se obsistere, quominus agros huic usui receptos seu exceptos, quamquam medios inter humana commercia interpositos, servarent; modo ne se ex eorum aliqua parte arcerent, vastitatemque mallent, quam amicos populos. Haec quidem huius loci sententia est. Nam quum dicit, *Quotam partem campi iacere* etc., breviter in unam duas sententias contrahit: Quantam partem iacere, et quotam se inde suorum in usum poscere. Vel si ea interpretatio durior videatur, ita eloquar: Festinat ad propositum orator, itaque quanta omnino pars agri iaceat, praeterit, statimque quotam partem, (in quam *interdum* militum pecora mittantur), sui teneant, commemorat. Reliquam ab aliarum gentium insessione recipiant, serventque militum gregibus tuendis. Quamquam de prima quidem huius orationis parte interpretanda, quum mihi tamen non simplicior videatur, quam proxime insequens, de qua omnes maxime inter se discrepant, neminem admodum video dubitavisse. Sed de altera, *Servarent sane*, multum viri docti moliuntur. Nullo tamen iure. Nam praeter coniunctivum *servarent* aperte particula *sane* concedentis hanc esse orationem demonstrat; idemque vel evidentius docet oratio insequens, qua quod nunquam concedendum arbitratur Boiocalus opponit ei quod concesserat: *modo ne mallent vastitatem* etc. Neque minus quid concedat, potest ambiguum esse. Nam quae a *campis* propter greges *vacuis* exorditur, et in *vastitatem*, quae propter eundem usum instituta sit, exsecrandam finitur oratio, media autem iisdem gregibus aliquid concedit, quid quaeso ea nisi *campos* concedere poterit? Utuntur vero hac Paromologiae figura, ut quae affectum praecipue deceat, Taciti oratores saepissime. Nos quidem plane similem supra habuimus XI, 23: *Fruerentur sane vocabulo civitatis; insignia patrum decora magistratuum ne vulgarent.* Nam in utroque ea quae conceduntur vix concedenda, sed tamen nimia quadam modestia vel animi bonitate largienda finguntur, quo vel perversius vel atrocius id esse appareat, quod deinde ullo modo concedendum negatur. Ex eodem porro consilio consequens est, ut quo acrior inter concessa et non concedenda antithesis sit, illa ipsa concessa quam possint maxime deminuantur et coartentur. Velut supra *vocabulum civitatis* volunt concessisse videri. Eadem vero plane res nunc agitur, ubi de commercio humano locuturus ea hyperbole utitur, ut eius loco *hominum famam* proferat. nam extremum ac minimum, quod inter se homines commune habere possunt, auditus et fama est. Vacui campi, ait, quo hominum quaedam fama pervenire possit, nusquam relinquendi, sed generi mortalium a dis dati censendi sunt. Sed esto, aliquid in usum gregum seponatis. Quid, si vastitatem vultis, quam amicos populos? Neque silebo, quid effecerit, ut haec satis iam, si quid video, illustris oratio obscurior videri potuerit. Neque enim sola orationis brevitas molesta est, *inter hominum famam;* nam eam in Tacito cito vincere discimus; veluti nemo haereat, si quid unquam inter hominum famam accidisse negetur; neque in eo, si quid inter hominum famam vetemur committere; magis, si quid inter hominum famam facere iubeamur; quae nunc res nostra est. Sed magis nos moratur neglecta veritas. nam crebrius illic erat hominum

commercium, quam mera fama. Quamquam enim id proprium hyperboles est, ut veritatis modum excedat, tamen plerumque in eam partem, qua res augeatur, non in eam, qua deminuatur, efferri et extumescere solet. Sed praesens orationis consilium deminutionem postulare, iam diximus, et comparavimus XI, 23, ubi non minus abhorrens a vero est, quod Gallis concessum fingitur *vocabulum* civitatis; sed minus illic nos commovet, quia et exaggeratio est minor et oratio simplicior.

Iam postquam amici iussis, quantum potui, obsecutus sum, alia quaedam ex eisdem libris, quae nondum ab omni parte sana esse viderentur, me in medium prolaturum promiseram.

Ann. XI, 4.

Rogatus sententiam Scipio, cum idem, inquit, de admissis Poppaeae sentiam, quod omnes, putate me idem dicere quod omnes.

Proba haec sane sed non religiose codicis vestigia insecuta oratio videtur. Is enim praebet: *de admissis Poppaeae assen essentiam.* Quid igitur impedit, quominus syllabas illas vitiosas, quae non sane dittographias speciem prae se ferunt, solvere quam inducere malimus? Quod ita facio: *Cum idem de admissis Poppaeae ad se noxis sentiam, quod omnes* etc. Accedit, quod *noxa* mitius dici solet, quam *admissum*, Scipio autem, quod *eleganti temperamento inter coniugalem amorem et senatoriam necessitatem* censuerat, collaudatur.

Ann. XI, 7.

Defenduntur causarum mercedes: *Quem illum tanta superbia esse, ut aeternitatem famae spe praesumat? Usui et rebus subsidium praeparari, ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit. Neque tamen eloquentiam gratuito contingere; omitti curas familiaris, ut quis se alienis negotiis intendat. Multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam; nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante providerit.*

Sententia huius loci non potest obscura videri. Eloquentiam forensem non ad oratorum laudem referri, sed ad aliorum utilitatem. Eam vero aliorum curam tam late patere et tam negotiosam esse, ut suas suorumque res causarum patroni prae illis omittere cogantur. Eamque ob causam, etiamsi non propter fructum eloquentia expetatur, non tamen debere esse sine fructu. Sed quid si haec totius rei perspicuitas in causa fuerit, ut non singula omnia diligenter expenderentur? Nam ego quidem, quid illud sit, *Usui et rebus subsidium praeparari*, me non intelligere fateor. An *res* tempora dixeris esse et pericula civium? Sed quis ita locutus est, nisi aliunde eius verbi notio circumscribatur? quale est, rebus alicuius afflictis succurrere. Et quis eas res utilitati ita coniungat: *usui et rebus subsidium praeparare*? nulla est earum notionum tanta inter se similitudo, ut sic copulentur. Vix haec ferres, *Usui et periculis subsidium parare*, nedum *rebus*. Igitur fortasse ad ἓν διὰ δυοῖν confugiemus? Sed quis ita nancisceris? Non famae oratoris, sed rerum usui prospici. Nempe famae sic oppositus usus pertinebit ad oratorem. oratoris vero usus non erat sumendus, sed conclusione inveniendus. Et ferrem hanc ambiguitatem; nam sequentia, *nequis potentibus obnoxius sit*, possent aliquo modo orationem ab oratore ad cives declinare videri; si modo tale verbum, quale est *prospici* legeremus. Sed quid hoc est, *rerum usui subsidium praeparari*? Quid omnino, *usui praeparare subsidium*? Nonne apparet hunc dativum non proxime referri ad subsidium, sed esse *ad usum, propter utilitatem*, proprium autem dativum, *cui* subsidium praeparetur, deesse? Deinde vero nonne vides, eiusmodi dativum necessario flagitari, quo non patroni, sed aliorum

utilitati consuli ex antitheto intelligatur? Nam ea sententia deinde pluribus exponitur. Igitur ego quidem non dubito, quin sit legendum: *Usui et reis subsidium praeparari.* Ac nunc demum, personae nomine praemisso *reorum, ne quis obnoxius sit*, habet quo referatur.

Ann. XI, 8.

Is [Pharasmanes] *rex Hiberis idemque Mithridatis frater nunciabat, discordare Parthos, summaque imperii ambigua minora sine cura haberi. Nam inter Gotarzis pleraque saeva (qui necem fratri Artabano coniugique ac filio eius praeparaverat; unde metus eius in ceteros,) accivere Vardanen.*

Parenthesin, quam recentissimi interpretes, — fortasse ne structurae immanitas tam vehementer oculos offenderet — indicare noluerunt, ego propter id ipsum reddidi, ut quisque statim perspiciat, hanc quidem periodum a Tacito esse non posse. Ut enim verborum numeros taceam, qui propter orationis interpositae longitudinem brevitatemque assumptae rursus post illam sententiae potioris plane dissiliunt; quis eam ipsam parenthesin in duas dilabentem sententias ferat? Ex quibus altera ab *unde* incipiens ita a priore distat, ut eam post praecedentia lecturus diutius spiritum cohibere cogaris. Nam non modo post Gotarzis saevitiam, quid ea saevitia effecerit, tractat, sed etiam novum orationi infertur subiectum, *unde metus*; ita ut supra incepta oratio et re et forma plane deseratur, appetaturque proxime insequens *accivere Vardanen.* Omnino igitur codicis scriptura vera erat nec abiicienda: *unde metus eius in ceteros et accivere Vardanen.* Neque minus in priore parte veri vestigia, quae exhibet codex, male spreverunt. Ille enim non *Gotarzis* genitivum habet, sed nominativum, *Gotarzes.* Quid igitur verius, quam hoc: *Nam Gotarzes pleraque saeva, qui necem fratri — praeparaverat; unde metus in ceteros, et accivere Vardanen.* Unum igitur, quod vitiosum debet esse relinquitur, *inter.* Quod vel in reiecta modo interpolatione perversum est. Nam quod volunt, verba *inter Gotarzis saeva* hoc notare, *quum Gotarzes saeviret*, nihil agunt. quia *inter* ad tempus, per quod aliquid fieret, flecteretur, *Dum Gotarzes saevit;* illud autem *quum* ad causam nos vocat, *quod saeviebat.* Iam quomodo vitium eximendum sit, mihi quidem constare videtur. Namque prima nunc Gotarzis mentio fit. Erat igitur aliquo modo designandus. Deinde duo promiserat exponere, & discordare Parthos & imperii ambigua. illos autem his verbis absolvit, *unde metus in ceteros;* imperii vero non minus erat revocanda memoria. Propter utramque igitur orationis indolem ita corrigo: *Nam inter reges Gotarzes pleraque saeva.* Vides vicinarum vocum similitudinem medios *reges* hausisse.

Schulnachrichten.

Uebersicht der von Ostern 1837 bis Ostern 1838 abgehandelten Lehrgegenstände.

Sechste Klasse. Ordinarius: Hr. Richter. Cursus, halbjährig. Latein. Abthl. 1. Declination, Genusregeln, Comparationsgrade, regelm. Conjugation bis zu den Depon. incl.; Bildung kleiner Sätze; jede Woche lernten die Knaben 24 Vocabeln. Abthl. 2. Declination, Conjugation, activum und passivum; wöchentlich 24 Vocab. Lehrbuch: kl. Gramm. von Bröder. 4 St. Hr. Coll. Roquette. Französisch, wie in Quinta a, 2 St. Hr. Coll. Roquette. Deutsch. Vom einfachen Satze wurde ausgegangen, die Glieder desselben kennen gelehrt. Damit der Schüler die Bedeutung der Wörter und ihre Beziehungen klar erkennen lernte, wurden die verschiedenen Verhältnisse des Subjectes und Prädicates entwickelt, so wie die einzelnen Wörterarten; auch wurde die Nothwendigkeit der Abwandlung einzelner Redetheile nachgewiesen. Die Conjugation, Declination und Comparation wurden dadurch zur gründlichen Kenntniß gebracht, daß die Merkmale der verschiedenen Formen von den Schülern selbst gefunden wurden. 3 St. 1 St. Orthographie. Zu allen Stunden wurden passende kleine Aufsätze geliefert. Hülfsbuch: Poplinski's Muster. Hr. Richter. Religion. In einer Stunde wurden biblische Geschichten des A. T. und der 4 Evangelisten erzählt, besonders diejenigen, in denen religiöse und sittliche Wahrheiten nahe liegen; in der andern wurde über die 10 Gebote in catechetischer Form Belehrung gegeben; vorher erklärte Bibelstellen und Liederverse von den Schülern zu jeder Stunde auswendig gelernt. 2 St. Derselbe. Geographie. Von unserer Heimath ausgehend wurde ein Ueberblick der ganzen Erdoberfläche gegeben, wobei Schritt vor Schritt auf der Karte gefolgt wurde. Hieran schloß sich eine mehr specielle Belehrung über Europa, namentlich über Deutschland. 2 St. Derselbe. Naturgeschichte. Im Sommerhalbjahr: Pflanzenkunde. Vorzüglich wurden die inländischen Pflanzen berücksichtigt, von denen einige vorgezeigt wurden. Im Winterhalbjahr: Uebersicht der wichtigsten Classen und Ordnungen des Thierreichs, darauf wurden die wichtigsten Thiere jeder Abtheilung beschrieben. 2 St. Derselbe. Tafelrechnen. Das Nummeriren und die 4 Species der unbenannten und benannten Zahlen. Dem Schüler dienten Hausübungen mit dazu, sich in dem Verstandenen mechanische Fertigkeit zu erwerben. 2 St. Kopfrechnen. Bei den Jüngeren wurde dieser Unterricht auf Anschauung gegründet. 2 St. Derselbe. Schreiben. Hausübungen. 4 St. Derselbe. Lesen. Auf richtige Betonung wurde strenge gesehen. Zu jeder Stunde wurden kleine Prosastücke memorirt. 2 St. Derselbe. Lesen mit der Elementarclasse. Von den ersten Elementen bis zu einfachen Sätzen und Satzverbindungen. Fleißige Buchstabirübungen, um eine richtige Orthographie zu befördern. 2 St. Derselbe. Elementarunterricht. Diese wurden zur Nachhülfe im Lesen, so wie zu Sprech- und Verstandesübungen benutzt. 2 St. Derselbe.